



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Patroclus Conf. 19. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

vit, dum litéris excultus inter Canonicos Turenneses est cooptatus. Sed cùm tunc etiam vanis poëtarum (& Virgilii præcipue) commentis plus quam piis commentaryibus vacaret, per somnum vas vidit cumprimis elegans, sed serpentibus plenum. Monuit scilicet iterum cælum, quod ipse Maro, anguem ut juventus caveat in herbâ latentem, dum fraga legit. Noster deinceps pre-cibus ad D. Martini noctes invigilavit: quò sæpius euntem cùm ex itinere vulpes infestarent, mirum dictu suppetias contra has lupus tulit, idē deinde Odonis hospes, ædiumque non ridiculus jam custos. Sub hæc dum Lutetiæ Parisiorum amplius literis operam navat, ab ipso Greg. Pont. noctu calatum dono accipere visus est, quo magni Doctoris Moralia, ut ajunt, sparsa omnibus libris in unum corpus colligeret. Jam monachus laboravit tam diu, quoad monachum etiam pater, mater velum indueret inter virgines. Abbas Gigniacensis, mox Cluniacensis miranda & fecit & passus est, dum collapsam monasteriorum disciplinam erexit. Ad extremum æger Romæ impetravit, ut redire in patriam liceret. Ibi denique vitam posuit ubi accepit, ad D. Martini tumulum.

Ex Surio.

Vis scire, homo, quid Deo debeas? quòd factus es, Dei creditum est; quòd es rationis capax, Dei fœnus est; quòd discretionem mali bonive possides, accepisti; & quòd vivendi normam acceperis, per chirographum legis stipulanti Deo spondisti. S.Pet.Chrys. f. 94.

S. PATROCLUS CONF. 19.Novembrib.

Genus & origo PATROCLO humilis fuit, sed indoles næ generosa, quæ tum se prodidit,

Aa 6

cum

cum rus ad oves est ablegata , fratre Antonio ad Iudum literarium amandato. Etenim cum hic oblitus eodem ovo se prognatum , fratrem opinionem aversaretur Musarum pullus , tam ille succensuit silvis , ut relicto in his Pane ad Apollinis castra etiam ipse transfugerit , nec multo post ostenderit , non ingenio , non studio se fratri , solo fastu cedere. Ita hodie etiam videoas convitiis (veluti ventis incendia) non extingui , sed ali artes. Cæterum ab Apolline transiit ad sacra , ab his ad solitarium locum : & operam in erudiendâ juventute posuit , fuitque omne Minerval una DEI gloria. Inde quoque , ubi solum esse non permisérunt prodigia , in silvas aufugit , cum loci ac sacelli heredes sacras virgines instituisset. Sed & silvæ miraculis coruscarunt viri , & dæmon pulsus ex hominibus passim per urbes famam PATROCLI ferebat. Pulsurus tamen vicissim statione suâ hostem veterator , cogitationem de reditu ad urbes ingessit. Hic Tutelaris Angelus descendere secum columnam jussit , indeque totam mundi tragœdiam , hoc est , furta , rapinas , adulteria , ac denique horum omnium epilogum interitū jussit spectare. Dedit lacrimas arbiter ludi PATROCLVS , nec placuit jam spectare , minus agere fabulam tam funestam ; quin totus mundo ut exiret , ad cælum abiit. A morte pluribus cæcis oculos aperuit : utinam nobis etiam , quod nempe mundum iis , quibus ille , oculis aspiceremus ! Ex Surio.

O p r æ v a r i c a t o r e s r e v e r s i m i n i a d c o r , i n t e l l i g i t e n o n i n t e l l i g e n t e s , q u i a o m n e s m u n d i p r o m i s s i o n e s s e d u c t o r i a s u n t , o m n e s b l a n d i t i a & v e n e n a , c u n c t e d e l e c t a t i o n e s p o c u l a m o r t a l i a , v i a q u e i l l i u s s e m p i t e r n a m o r s . S. Laur. Justin. Lign. vit. de Fide c. i.

S. ELI-